Herrn Professor Dr. Moritz Schmidt

hochachtungsvoll

Dr. [illegible]

JAHRESBERICHT

UEBER DAS

KARL FRIEDRICHS - GYMNA[illegible]

ZU EISENACH

VON OSTERN 1864 BIS OSTERN 1865

ERSTATTET

VON

DEM DIREKTOR

Dr. KARL HERMANN FUNKHAENEL,

GROSSHERZOGL. SAECHS. HOFRATH UND RITTER DES ORDENS VOM WEISSEN FALKEN I. [illegible]



VORAN STEHT

EINE ABHANDLUNG DES PROFESSOR Dr. WILHELM WEISSENBORN,

RITTERS DES GROSSHERZOGLICHEN SAECHS. ORDENS VOM WEISSEN FALKEN I. [illegible]

DE CODICE LIVII MOGUNTINO. PARTICULA I.



EISENACH

DRUCK DER HOFBUCHDRUCKEREI

MDCCCLXV.

De codice Livii Moguntino. Particula I.

Scripsit Wilh. Weissenborn.

Postquam recentiore tempore intellectum est, ut firmiore niterentur fundamento qui ad Livii libros emendandos et pristinae integritati restituendos accederent, instrumentum criticum olim paratum supplendum et corrigendum esse novaque subsidia acquirenda, plerique codices, quorum auctoritatem in exploranda et constituenda oratione maxime sequendam esse constat, maiore quam ante diligentia examinati aliique investigati et excussi sunt; duo restant, qui accuratius ne nunc quidem cognosci potuerunt, alter, qui Veronae tanta cura custoditur, ut aegre pauca folia exscribendi nuper facultas data sit, alter, qui Moguntiae quondam asservatus aut ita in occulto latet, ut ad lucem retrahi non possit, aut iniuria temporum interiit. Et hunc librum denuo inspici et in auxilium vocari non posse propterea magnopere dolendum est, quod in maiore quartae Livianorum librorum decadis parte recognoscenda et fundamento recensionis iaciendo maxime refert perspicere, quantum ei auctoritatis et fidei sit tribuendum, neque tamen, quid ubique in eo scriptum fuerit, ab editoribus Moguntinis, Nicolao Carbachio et Wolfgango Augusto, aut Gelenio [1]), qui soli librum inspexerunt atque comparaverunt, plene aut accurate est enotatum. Quamquam autem in iis, quae in codice Moguntino scripta fuisse certum est, haud pauca inveniuntur, ex quibus et fides eius aestimari et virtutes et vitia cognosci possunt, tamen quod multa in eo lecta a reliquis manuscriptis multum discrepant, passimque, quae Moguntini lectio fuerit, dubitatur, non potest mirum videri inter criticos non constare, quantum ei auctoritatis sit concedendum. Ac Moguntini quidem editores, quamvis multa praeclara codicem suum habere intellexissent, tamen nisi paucis locis, ne pristinam lectionem nimio plus immutare voluisse viderentur, eum sequi non ausi sunt. Multa, quae spreverant et ad calcem editionis reiecerant, ab Asulano in Aldinam sunt ascita, indeque in Frobenianam primam translata, in eandemque alia, quae ab Asulano, quem Drakenborchius vol. VII. pag. LXIII minus recte dicit nimium Moguntino tribuisse, omissa erant, recepta sunt. Plura etiam ab utroque neglecta et nova codice iterum inspecto eruta Gelenius, cum eius praestantiam perspexisset et, quantum reliquos superaret libros, ex quibus vulgares editiones fluxerant, intellexisset, agnovit et recepit eoque potissimum subsidio ad veram orationis formam investigandam usus est. Eam viam, quam Gelenius ingressus ad vetustos et fidos codices vulgarem lectionem emendaverat, tenuit I. F. Gronovius, sed de codice Moguntino non idem sensit. Nam cum editionem Moguntinam nondum nactus Aldinam cum prioribus editionibus compararet, in eaque multa inveniret, quae et ab his et a manuscriptis, quibus utebatur, discreparent, plurima, quae unde sumpta essent ignoraret, pro interpolatis habuit et damnavit, atque, cum ad medium librum XXXVIIII progressus Moguntinam sibi comparasset, tamen multas scripturas e codice Mog. imprudenter receptas esse iudicavit. Quae quidem sententia viri sagacissimi Latinique sermonis gnarissimi, quem non immerito sospitatorem Livii appellarunt, et in hac re, cum fontem novarum lectionum nesciret, nulla opinione praeoccupati, non sane videtur negligenda esse, praesertim quam etiam cognita editione Mo-

[1]) Cum ea, quae de editorum Moguntinorum excerptis et de Gelenii adnotationibus deque universa eius emendandi ratione exposueram, huius scriptiunculae angustiis excludantur, hoc tantum moneo, haud pauca quidem quin Gelenius ex codice Moguntino petiverit dubitari non posse, sed non deesse locos, quibus quae in codicibus legit coniectura adiuvisse putandus sit, permulta autem, quae aut tacite correxit aut ita, ut in editione Frobeniana prima, quam emendandam sibi sumpserat et solam comparavit (Moguntinam non inspexit) edita legebantur, servavit, quo modo in codice Mog. scripta fuerint, nisi quae Moguntini enotarunt, non magis constare, quam quo modo altero quem habebat codice, Spirensi, quem Bambergensi simillimum fuisse, id quod nuper Madvigius vidit, ante hos viginti quinque annos ostendi, v. Iahnii ann. nov. vol. XXVIII p. 183, usus sit, et num quae ex iis, quae laudat, in hoc potius quam in Moguntino invenerit.

guntina, etsi nonnulla, quae antea reiecerat, ex ea asciscenda esse censuit, non ita desuerit, ut Moguntino summam auctoritatem tribuendam existimaret. Hoc statuit Drakenborchius, qui quamquam videbat male rem gessisse, quicumque superstitiosius, quam par esset, uni Moguntino adhaesissent, v. v. VII. p. LXIV., tamen plurima, quae Gronovius damnaverat, revocavit ac defendit, raroque et paene invitus a Moguntini auctoritate recessit. Neque mirum videri potest aut Drakenborchium ita iudicasse, aut eos, qui postea Livium ediderunt, eum secutos esse, quod praeter Moguntinum tantum recentiores libri multis locis corrupti et depravati consuli poterant. Postquam autem Bambergensis codex iterum in lucem est protractus, aliquid auctoritatis, quae usque ad illud tempus soli Moguntino concessa erat, sibi vindicavit. Is enim codex, quamquam ex eodem fonte, unde recentiores libri provenerunt, est profectus, tamen ex apographo longe diverso et multo minus corrupto descriptus est, eiusque virtutes magis etiam conspicuae forent, nisi scriba vel potius scribae et negligentia et archetypi legendi difficultate multos locos et plures etiam quam in recentioribus libris lacunis deformassent. Quem librum cum post Kreyssigium nactus esset Imm. Bekkerus et in primis potissimum quartae decadis libris multa eius unius subsidio emendari posse vidisset, sed etiam in libro XXXIII haud raro meliora eum quam Moguntinum habere et in sequentibus non pauca bona praebere intelligeret, non multum abfuit a Gronovii sententia, et saepe a Drakenborchio discedens multo pluribus locis, quam Kreyssigio placebat, aut spreta Moguntini auctoritate, aut quod dubitabat, num ea, quae Gelenius adnotasset, omnia ex illo libro essent sumpta, Bambergensem est secutus. Contra Nic. Madvigius in Emendationibus Livv. p. 364 Bambergensem, quamquam in universum Moguntino cedat, tamen locupletis testis locum obtinere censet, qui et Moguntini auctoritatem multis locis insigniter confirmet aut plane cum eo conspirans aut prope accedens, et sua propriaque bona servaverit, et in libro XXXIII illo, quemadmodum quidem lectus et expressus sit, superiorem videri. Eandem fere sententiam in praef. edit vol. V p. VI repetit, sed addit se iam confidentius quam in Emendationibus dicere in iis locis, in quibus scripturae ad sententiam et orationem fere aeque bonae certent, praeferendas esse Moguntini ob auctoritatem, et bonarum aliquot scripturarum, quae ex solo Bamb. enotatae sint, complures etiam in Mog. fuisse, sed in excerpenda varietate omissas, quod earum bonitas non intelligeretur; denique concedit in libro XXXIII Bamb. parem et paene superiorem esse Moguntino, idque inde ortum esse censet, quod Moguntini cum illam partem e primis codicis foliis fortasse male habitis nondum ad eum legendum exercitati ederent, permulta male legissent et corrupissent, neque Gelenius omnia correxisset. Sed haec si vera esset causa, neque tanta lacunarum multitudo unde orta esset intelligeretur, neque qui factum esset, ut in extrema libri XL parte prorsus eadem codicicis condicio conspiceretur, neque probabile est Gelenium in hac parte, ubi maxima cura opus esse facile intelligere posset, fuisse negligentiorem; quare, inde potius huius rei causa repetenda est, quod in illis partibus continuam orationem, et bona et corrupta, et fortasse haec non omnia, in reliquis autem bonorum tantum, nam Moguntini quae plura et meliora invenirentur se excerpturos esse professi non magis quam Gelenius aut menda aut lacunas curarunt aut adnotarunt, excerpta in iisque magis in bonam quam in malam partem codicem cognitum habemus. Tantam autem auctoritatem Moguntino esse habendam, quantam dixi, ita probat Madvigius, ut per aliquot capita continua, quae emendationes illi libro debeantur, enarret et eandem ubique rationem obtinere affirmet. Elegit autem libri XXXIV cap. 41 ad 50 et XXXV cap. 1 ad 12; in quibus Moguntini subsidio haec restituta esse dicit: XXXIV, 42, 6 *Buxentum*; ib. *qui* additum; 43, 9 *senatus censuisset* emendatum; 44, 3 *pridie Calendas;* 45, 2 *Buxentumque,* quod ex cod. non enotatum in edit. Moguntina legitur; ib. 5. addit. *et C. Salonius* a Gelenio; ipse Madvigius, quod in Bamb. legitur *que,* mecum scripsit *Q.***, *C. Salonius,* et partem lacunae a Gelenio obscuratam esse, aliquid veri Bamb. servasse concedit, 46, 1 add. *Flaccus;* 46, 2 add. *pondo bigati centum viginti tria milia, Oscensis DXL,* quem locum aliter Moguntini exscripserunt; ib. 3. add. *ex praeda;* 47, 7 emendat. *quae;* 48, 1 add. *Ligurumque;* ib. 2 add. *hoc;* ib. 6 add. *haerentem visceribus nobilissimae civitatis;* 49, 5 *Acrocorinthum* restitutum; 50, 8 *Acrocorintho;* et haec et 49, 8 additum *et* debentur Gelenio; 50, 9 *liberatorem;* XXXV, 1, 1 *haec gesta sunt,* reliqui cdd. *gesta sunt haec*

habent; ib add. *permultae;* ib. 5. em. *praetor haec gesserat* [2]); 2, 6 add. *a; temere; aut praetores;* ib. 7 *scribi a praetore, mens ea senatus fuit, ut in Hispania tumultuarii milites;* 3, 1 *quotidie;* 4, 1 emend. *per;* 5, 11 *paululum anniterentur;* 7, 2 add. *quod;* 8, 1 emend. *gerebantur;* ib. 9 *supplicatio decerneretur;* 9, 3 add. *que;* 10, 2 *decesserat* emend.; ib. 4 add. *que;* ib. 5. restit. *in P. Scipione;* ib. 8. *legato,* cf. 38, 48, 7: *collegae maiestate;* 11, 6 add. *hostium;* ib. 11 add.: *omnia ... flammaque;* 12, 6 emend. *Nicander;* ib. 9 *Romanae amicitiae coniungeret se cum.* Iam cum tam multa egregia praebeat Moguntinus, nihil in eo corrupti sit, ceteri nihil boni habeant, res videtur confecta esse. Sed ut iudex, qui alterius tantum partis testes audit, ab altera datos reicit et contemnit, neque pro iusto haberi neque ad verum pervenire potest, ita vereor, ne Madvigius rem non ita, ut est, exposuerit. Omisit autem omnia, quae in M. corrupta Bambergensis aut recentiorum ope emendata sunt, ut hoc loco praeteream nonnulla ab eo pro certis posita esse, quae, num recte in M. scripta sint, iure videtur dubitari. Atque B. et rell. XXXIV, 41, 2 recte habent *abduxerat,* M. *abduxerant;* ib. 4 *in commune,* M. *et in commune;* 42, 3 *fuerant* pro *fuerunt;* 43, 4 *facturum,* ubi in M. *esse* additur; 44, 2 *assoleret* (B. *assoret*), non ut M. *soleret;* ib. 5 *ullum;* M. *illum;* 45, 1 illi *treceni,* hic *trecenti;* ib. 4 *habebant,* M. *habuerunt;* 46, 5 *esset hosti,* M. *e. hostis;* ib. 10 *gerebatur,* M. *gerebantur;* 47, 7 *universi,* non *diversi;* 48, 2 *quo,* non *ex quo;* ib. 5 *praeterquam,* non *praeterea quum;* 49, 2 *viribus,* non *auribus;* ib. 4 *commemorationi subiecit,* M. *commemorationem s.;* 50, 3 *ne ipsis quidem,* M. *nec i. q.;* ib. 7 *ea ratione,* M. *in ratione.* XXXV, 1, 2 *acceperat,* M. *acceperit;* 2, 7 *legerentur,* non *eligerentur;* ib. 8 *scribit,* non *scripsit;* 3, 2 *non plus mille passuum;* hoc quidem loco ipse Madvigius non recte in M. *non plus* abesse observavit; 4, 3 *inter pacatos,* M. *inter pacatos agros;* 4, 7 *viderunt,* non *viderent;* 5, 3 *unde;* M. *inde;* 5, 8 *perturbandos ordines,* M. *perturbandos animos;* ib. 14 *M. Genucius Q. et M. Marci tribuni militum;* M. *M. Genutius eques et M. Martius tribunus militum,* a Gelenio haec verba coniectura sunt mutata; 6, 4 *se quidem,* M. *se id quidem;* ib. 6 *senatum ni is — avocaret,* M. *senatum velle, ut is — avocarent;* ib. 9 *fuerit,* non *fuerat;* 7, 3 *diem finiri,* non *diem inire;* ib. 5 *quod cum civibus,* M. *quod civibus;* 8, 2 *quoque statu;* ib. 5 *deduceret* non *duceret;* 10, 11 *Tamphilus,* M. *Pamphilus.* Haec omnia in M. depravata in Bamb. et recentioribus libris recte leguntur et a Madvigio probantur, sed in comparandis codicibus praetereuntur. Alia quaedam omisi et consilio non immiscui, quod aliquam dubitationem habere videbantur. Quamquam enim paucae quaedam scripturae a Madvigio omissae, ut 35, 2, 9 *adiecisse,* quod Gelenius attulit; ib. 5, 7 *densis;* ib. 6, 7 *L.,* 8, 1 *M.* (34, 49, 11 *ac munus* consilio videtur omissum esse) probandae sunt, aliis tamen locis utra lectio praeferenda sit, non ita constat. Ita 34, 41, 6 B. scripturam *dominationis* l. Bekkerus et M. Hertzius probant spreta Moguntina *dominantis;* 44, 4 quod in recc. plerisque legitur *principem senatus* etiam Madvigius recepit, non *principem senatorem,* quod in M. et B. exstat; 44, 5, in B. et rcc. *spectarant* est et iure fortasse a Bekkero probatur, non altera lectio *spectabant;* de vv. § 6 *ludique votivi* et de c. 47, 6 infra dicam; c. 44, 8 *consciorum* omnibus praeter Madvigium probatum est, qui ex M. *sociorum* praetulit; 46, 4 *apertis* reicit, ut *idoneis* a Gronovio satis gravibus argumentis impugnatum, non ita firmis defensum restituat; 46, 7 *ad pugnam* Bekkero et Hertzio probatum non minus videtur ferri posse quam *ad pugnandum;* et ib. § 12 *iecerunt,* quod iisdem et Kreyssigio placuit, non posthabendum Moguntinae lectioni *iniecerunt;* nec *eodem anno* c. 48, 2 alteri, quod Madvigius tuetur, *eodem hoc anno;* nec c. 50. 4: *ac necessario* alteri: *tam necessario.* Praetereo 35, 1, 10 et. 3, 3 in M. *fere,* in reliquis ut 36, 44, 3; 37, 6, 4 all. *ferme* fortasse rectius esse scriptum; sed quod 35, 2, 4 in B. legitur *VI milia et CC* non spernendum prae altero: *sex m. et quingentos,* quod ille numerus in legione etiam 29, 24, 4 fuisse traditur, hic nusquam, cf. Th. Momm-

---

[2]) In Bamb. est *praecesserat,* in quo *pr. ea gesserat* latet, c. littera, ut multis locis in Vindobonensi et Puteaneo factum est, pro *g* posita; eodem modo 39, 19, 4 *tribunis placeret,* quod rcc. habent, nihil est aliud nisi *tribunis pl. aceret* i. e. *ageret;* et quod 35, 12, 6 in Bamb. pro *Nicander* legitur *navigat* non gravius erratum est, quam quod in Mog. 35, 35, 9 *nam id* pro *Nabidi* est positum. De facili vv. *ex formula* 34, 57 8 corruptela v. Kreyssig. p. 223.

sen Die Tribus etc. p. 123 n. 112; neque cur c. 3, 2 *dixerat* (M.) per se rectius sit, quod Madvigius dicit, quam *edixerat* (B.) intelliget qui comparaverit, quae a Dukero ad h. l., a Drakenb. ad 31, 49, 12, Fabri ad 22, 11, 3, Madvigio Emendatt. p. 417 n. 1. congesta sunt, cf. praetera 36, 8, 2. Non magis certum est 35, 3, 5 *mittebant* (B. rcc.), quod Bekkero placuit, deterius esse quam *emittebant*; ib. *per quos* quam *per quod,* praesertim cum hoc facilius propter *praesidium* scriberetur quam illud; 4, 1 *praeter* (B., Bekker, Hertzius) quam *per*. C. 6, 9 post Sigonium plerique *elapsum* in rcc. scriptum, B. firmatum receperunt, et probabilius est, quam *non deletum* (M.), ad priora accomodatum; 7, 3 *ius — diceretur* (M.) non praestat alteri *ius — redderetur*, B., Bekker, Hertzius; nec ib. 4 *deinde posteaquam* (ita saepius in M. legitur quam in reliquis cdd. ceterarum decadum, qui plerumque *postquam* habent, et Madv. n. l. *deinde postquam* praetulit) alteri lectioni *inde postquam*; nec c. 8, 3 *postulavit — ut — decernerent* alteri *postulavit — decern.*; nec ib. 7 *ne ea* reliquorum scripturae *qui eu*, de quo infra dicturus sum, aut 10, 5 *in P. Scipione* alteri, quod etiam Gelenius probavit, *Scipionis.* Omitto c. 8, 1 *agerentur* (alii *gererentur*) et 12, 1 *inimice infesti* Gronovium defendere, et hoc quidem etiam Bekkerum et Hertzium probasse. Ex his, quae exposui, apparet Moguntinum nonnulla habere peculiaria, reliquorum codicium scripturis praeferenda, sed ne his quidem sua bona deesse et non pauca in iis inveniri, quae Moguntinis non cedant sed praestent, alia autem esse eiusmodi, ut dubitari possit, utrum Moguntino an Bambergensi et recentioribus sit obsequendum, iisque uti non debere [*]), qui probare voluerit, Moguntinum reliquis libris praestare. Deinde quivfs videt B. et recentiores pluribus locis lacunis esse deformatos plerisque ita ortis, ut scribae archetypi aut singulorum codicum, maxime Bambergensis, a verbo aliquo, si brevi spatio bis positum erat, ad posterius aberrarent aut, quae legere non possent, omitterent, sed nihil a librariis, id quod in recentioribus primae et tertiae decadis codicibus saepe factum esse videmus, ad occultandas eas et obscurandas esse additum. Denique id intelligitur, praeter locum 35, 5, 1: *sinistra sociorum equitum ala*, ubi *equitum* aliena manu additum est, quod additamentum cum et editio Mog. habeat, neque quidquam diversitatis aut in excerptis aut a Gelenio adnotatum sit, etiam in M. fuisse et ex antiquiore libro in utriusque generis codicum archetypa illatum esse videtur, nullum in B. aut recentioribus interpolationis vestigium exstare, plura contra et aperta in Mog. apparere. Nam quod in eo legitur 35, 4, 3: *inter pacatos agros* ipse Madvigius confitetur interpolatum et reliquorum cdd. lectionem: *inter pacatos* veram esse. Idem statuendum est de vv. 35, 5, 8 *ad perturbaudos animos,* quae pro vv. *ad p. ordines* (B. rcc.) posita sunt, et de c. 5, 14, ubi cum in archetypo obscuratum esset *Genucius et Q.*, factum est *Genucius eques.* Non minus in M. deformata sunt c. 6, 6 *senatum velle, ut is — avocarent,* reliqui codices veram Livii manum servarunt, idemque factum est 34, 48, 2, ubi in M. interpolatum legitur *ex quo — reduxerat copias.* Ex his ni fallor apparet Madvigium nou accurate aut vere codicum rationem expoauisse, quod nihil commemoravit nisi ea, quae recte in M. scripta sunt, et huius vitia ac reliquorum bona occultavit, interpolationumque, quibus alio loco, v. Emendatt. p. 362 seq., ed. Liv. vol. III, 1 p. v., M. non prorsus liberum fuisse concedit, eo loco, de quo agimus, mentionem non fecit. Quae cum in tam brevi spatio plures inveniantur, operae pretium est quaerere, num etiam aliis locis liber praestantissimus hac labe deformatus sit; atque cum triplex potissimum sit interpolationum genus, quod aut verba et dictiones ad ea, quibus scriptor ipse usus erat, ab interpretibus addita in orationem immixta aut, quae depravata erant, mutata sunt, aut lacunae literis verbisve mutatis aut additis occultata, aut, quae a scriptore non dicta erant, adiecta, haec tria genera deinceps persequi in animo est et explorare, num quid his modis in M. peccatum sit.

Et primum quidem non desunt loci, quibus Livii verbis aptis nec a scriba corruptis alia, quae

[*]) Dubito, an his locis adnumerem 35, 2, 7 sq.; mirum enim esset, si librarii non a v. *extraordinarios*, ut saepe factum esse videmus in eodem vocabulo repetito, ad *extraordinarii*, sed a vv. *extra Italiam* aberrassent, et rectius quam in M. erat, v. *legerentur* scripto aptam sententiam effecissent, et offendit, quod relato iam senatus consulto, etiam quae mens senatus fuerit, additur, non ut, id quod exprectatur, ex altera parte ponatur, quid Flaminius contra mentem senatus fecerit, sed quid Valerius Antias eum fecisse aut vere tradiderit aut finxerit.

interpreti magis aut perspicua aut idonea viderentur, adscripta primum deinde substituta sunt. Ex hoc genere est, quod XXXIII, 24, 5 in M. scriptum est *senatus est habitus* pro eo, quod Bamb. habet *senatus datus* (*est* incuriae scribae intercidit); ib. 25, 7 *uti rogatae* pro *uti rogas* (B.), quorum illud interpreti deberi hoc genuinum esse Madvigius ostendit, v. praef. Liv. II. 2 p. XXVI; 26, 5 *exortum*, quod Gelenio teste in M. extabat pro *motum*, pariterque c. 45, 5 pro hoc illud in M. positum est; 28, 3 *fidelissimum* pro *fidissimum*. Dubito, utrum huic an alteri generi adnumerem c. 28, 3 M. *tota urbe* in M. pro *per totam urbem* eodem modo scriptum, quo 37, 31, 2 in B. et rcc. *tota hieme* in M. *per totam hiemem* legitur; 33, 28, 7 etsi dubitari potest, utrum *consimili* in M. errore an consilio scriptum sit pro *constanti*, quod sequitur, § 9 *opinione usi* ab interpolatore pro *opinione* positum esse ipse Madvigius docuit. C. 29, 6 *pedites* — *inventi* pro *caedes* — *inventae* vix errore illatum est, nec c. 30, 10 *Valerius Antias* pro *Antias Valerius* ut 36, 36, 4; sed videtur accomodatum esse ad id quod illo loco c. 30, 8 etiam in B., 35, 2, 8; 38, 23, 8 in M. et aliis legitur: *Valerius Antias*. Non definiam, utrum 33, 35, 12 *ne altercationem excederet* (M.) an *ne in altercatione cresceret* plura veritatis vestigia servaverit, neque utrum c. 34, 3 *pronuntiatum* (M.) pro *denuntiatum*, c. 36, 11 *exstitit* (M.) pro *restitit* errori scribae an interpolatori tribuendum sit; sed vix credi potest c. 36, 14 *post paucos dies* non consilio mutatum esse in *intra paucos dies*, aut c. 37, 1 *varia fortuna re gesta* a librario profectum pro *varia fortuna gesta* aut ib. § 10 *collegae* pro *cum collega*, aut 38, 2 *reliquas* pro *ceteras*, aut 42, 8 *diviserunt* pro *discripserunt* (Madvigius *descripserunt* servare maluit); c. 44, 6 *instare* pro *restare*; 45, 1 *referrent* pro *adferrent*. Gravius etiam est, quod c. 45, 6, cum *hostibus*, quod ut in B ita in archetypo lectum esse videtur, non aptum esset, non *hospitibus* est restitutum, sed coniectura *amicis* in M. positum, eodem modo, quo Drakenb. 34, 46, 4 pro *aptis* non *apertis* sed *idoneis* scriptum esse docuit.

Antequam interpretamenta in reliquis libris persequor ex tricesimo tertio potiora colligam ex iis, quae alio modo, neque tamen errore in M. depravata sunt. Omitto quod prima verba, quae in eo leguntur, non genuina sunt, nam pro *artis faucibus*, quod recte in B. scriptum est, *iis partibus* ab editoribus aut consilio positum aut errore lectum esse potest, sed parum probabile est idem factum esse c. 17, 8 ubi pro *expugnabilis* et Moguntini et Gelenius *inexpugnabilis* legerunt, aut c. 18, 8, ubi cum in archetypo *castris in propinco locatis* scriptum esset, in M. mutatum est *castris in propinquum collatis*; 19, 4 *quibus fuga expeditior fuit* non casu est scriptum, sed omissa praepositione, in B. servata, ubi *quibus fuga in expedito fuit* legitur, coniectura positum, eodemque modo c. 28, 1 *arma propinqua* pro *arma in propinquo* scriptum, ut in recentioribus libb. 39, 13, 10 *promiscua* pro *in promiscuo* legitur. Eodem illo l. 33, 19, 6 in B. est *ex Syria movente bellum*, sed v. *movente* in *moliente* corrupto in M. factum est *in Syria moliente bellum*. Gravior etiam error esset, si ib. c. 19, 8 *nihilo quietiores res Pausistratus* (*postea res* corr. Fr. 1.) ut in editione Mog. expressum est, nomine ex c. 18 illato, in codice lectum esset pro *n. quietiora ea ipsis aestivis habuit*. Leviora sunt haec, quod c. 23, 2 *plerosque* non sine causa ad v. *liberatos* accomodatum esse videtur, et eod. l. *exceptos* pro *exemptos* ut c. 29, 7 *intercepti* (M.) pro *interempti*, et c. 24, 7 *in eorum numero* pro *in eo n.* est positum, sed quod c. 25, 3 *ex argento — signa aenea Cereri Liberoque et Liberae* legimus pro *de argento — s. a., Cererem Liberumque et Liberam* nemo facile erranti librario tribuerit, non magis quod paulo post § 4 *petebat Marcellus* pro *tendebant. Marcellus* (B.), aut c. 41, 6 *Cyprum — tendens*, ut Gel. edidit, in editione Mog. nihil praeter *Cypri* legitur, pro *Cyprum — petens*, scriptum est; sed iure illud verbum e Bamb. est restitutum c. 38, 3 ubi pro *intenderent* in M. scribae errore legebatur *in Theba*, nisi forte *intendebant* erat positum, ut c. 18, 4 *Tendeba* in M. in *tendebat*, in B. in *tenebat* abiit. Sed correctori non scribae debetur c. 25, 6 notius Marciorum cognomen *Rex* pro *Ralla* (*Rala* B.) et c. 26, 7 *P. Iulius Sequestris* (*equestris* Fr. 1.) pro *P. Villius eques Romanus* (*eques ro.* B.), ib. 9. *Intemelio* (*inde Melio* Fr. 1) pro *Cermalo*, et paulo ante § 6 *nullo* pro *sine ullo*, neque facile intelligitur, quo modo c. 27, 1 *ovans* (B.) in *quum* depravari potuerit.

Paulo post c. 27, 2 *denarios* pro *denarium* (B.) facile errari poterat, si in archetypo X erat positum, sed ib. § 5 *Athenis* pro *Elatiae* non scriba sed interpolator intulit, eodemque modo 40, 4, 8 nomen urbis, in recentioribus cdd. corruptum in M., ubi *Athenas*, legitur, non restitutum videtur sed obliteratum, ut 33, 28, 14 Gelenius *Athenas* intulit pro *Anthedonem* B. (*Atenorem* ed. Mog.). Quid c. 27, 7 in M. scriptum fuerit, non satis liquet; ea autem, quae Gelenius inde procudit, a sententia loci aliena esse iam ex Bamb. scriptura intellectum est; in hoc c. 28, 4 recte legitur *velut ex ante indicto aut voce praeconis*, sed cum pro *indicto* scriptum esset *indicio*, totus locus ita in M. est immutatus: *velut extante indicio ad vocem praeconis*; non minus depravata (errori vix adsignari possunt) leguntur c. 28, 13: *qui tulit literas iussit Zeusippo dare — quia non sibi conveniendi copia fuit*, quae in B. recte scripta sunt: *qui tulerat lit., iussus Z. dare — quia non statim* c. c. *f.*; non ita certum est, num 36, 29, 7 rectius in M. *iussum* an in B. *iussit* exhibitum sit. 33, 29, 2 in B. est *alios in hospitis*, ut 40, 13, 3 in rec. *regis* exstat, quod cum non intelligeretur *hospitiis* esse, in *alios hospites* mutatum est, c. 30, 4 *Quinctium — scribere* in *Quintius — scriberet* (M.); magis etiam offendit, quod ib. § 11 *Paron* est scriptum, cum in B. sit *Lemnum*, quae tam diversa sunt, ut casu aut errore hoc in illud abire non potuerit. C. 31, 7 post lacunam in M. ab interprete additum est *tractabantur* pro *agitabantur* (B.), paulo post § 9 minus recte scripta fortasse scribae culpa magis etiam depravata in M. legebantur: *si idem esse idem facere ad — Philippo adesse.* Quod c. 33, 6 in M. habetur: *terris continenti iunctis* a librario profectum esse non probabile est, sed quod ea, quae in B. leguntur, *terris continentibus iunctis*, a Madvigio vindicata, non intelligebantur, a correctore mutatum esse videtur, ab eodemque § 4 *omnium modo* pro *tantum modo* (B.) positum et § 7 *concipi* pro *concipere.* C. 36, 4 cum *inter* in *in* abiisset, *in tumulo quodam* pro *inter tumulos quosdam*; 38, 12 *omni cura* pro *omnia*; 39, 4 *e Syria classe solvisset* pro *ab Syr. classem solvisset* est positum, neque casu aut scribarum errore factum, ut c. 41, 3 *si tum occupasset* (B.) in *si tum occasio esset*; ib. § 8 *non remigum modo militumque ignotae turbae* in *non remigum tantum militumque ignotorum*, ib. § 6 *Chelidoniarum promunturium* in *Chelidonium promontorium*; ib. 7 *tempestas adorta* in *t. oborta* abiret; mirum autem est c. 42, 1 in tam antiquo libro errore illo, quo in recentioribus cdd. saepe peccatum est, *T. Romuleius* pro *tR. pl.* lectum esse. C. 43, 7, ubi in utroque codice *peditum* intercidit, B. recte servavit *equites novos ut scriberet*, in M. verbis mutatis scriptum est *equites novosque scribere*; audacius etiam c. 44, 1 v. *decreto* in archetypo omissa pro *ex decreto pontificum iussi (iussit* B.) *facere* factum est *ex pontificum iussu fecere*, eodemque modo c. 45, 7 ubi in B. exstat: *nulla mitescere arte*, v. *arte* omisso in M. scriptum est *numquam mitescere*, quae a scriba non ita immutata sunt, sed a correctore; eiusdemque opera, ut alia minora omittam, etiam c. 48, 1 versata est, ubi *fuerunt (fuerant* Gel.) pro *iusserat*, deinde, ut verba certe Latina essent, *visa (via* Fr. 1. 2.) *cita regionem quandam agri Vocani* repositum est pro *Byzacium, ita regionem quamdam agri vocant*, tum *ancillam* pro *Acyllam*; ib. § 6 *quantum res et tempus patiebantur apparatae celebrataeque — epulae sunt* factum ex *quanto res et tempus patiebatur apparatu celebratae - ep. sunt.* Aliis haud paucis, quae scribae culpa mutata esse videntur, omissis, non praetereundum puto duo vel tria glossemata ex antiquiore libro in M. et B translata esse, 33, 42, 10: *curio maximus*; ib. 25, 11 *cum duabus legionibus — eodem exercitu*, et, quem Madvigius addidit locum, c. 43, 9 *ad Etruriam circa Pisas*, nisi postrema duo loca depravata potius quam interpolata sunt.

In sequentibus libris quamvis non tam multa, quod non omnia ex codice M. enotata sunt, tamen passim interpretamenta inveniuntur, pauciora, ut in altero quoque codicum genere interdum factum est, cum vera lectione coniuncta, ut 40, 48, 5 *urbem ingressus est vectus*, si recte a Moguntinis haec tradita sunt, cf. 33, 29, 1: *devecti deductique*; 34, 28, 11; ib. 34, 2; 44, 6; 35, 47, 4; ib. 49, 7; 36, 36, 3; 37, 11, 3; 40, 11, 8; ib. 47, 10 all., plura in eius locum substituta. Ex hoc genere Gronovio et plerisque editoribus esse videtur XXXIV, 4, 3, *quo magis imperium crescit*, quae ex M. adnotata sunt, et altera scriptura *imperiumque crescit* probatur, in B. rec. inventa; ex iisdemque libris

c. 5, 2, [4]) *nunc cum vir gravissimus,* quod et ad ingenium Catonis et ad consilium oratoris aptissimum est, spreta Moguntina lectione *nunc ut vir clarissimus,* receperunt; et Madvigius in textu eos secutus est, sed in praefatione sententia mutata Moguntini lectionem ita probat, ut tamen *nunc ut* non ausus sit propter eius auctoritatem admittere. C. 5, 2 ex M. adfertur *necessum est,* quod cum et h. l. et 39, 5, 9, si Gelenio fides habenda est, ab antiqui sermonis [5]) studioso illatum esse vidissem contra Livii usum, et, id quod B. habet, *necesse est* praetulissem, damnavit etiam Madvigius. Eodem l. § 9 num in M. *aurum* suo loco positum sit, non satis constat; recte Dukerus suspicatur pro *nempe* legendum esse *nonne* et verborum ordinem, qualis in B. rcc. est, retinendum; temerarium conatum nescio cuius *urbe c. a G. aerario direpto quo* etc. suadentis, cum *aurum* aptissime h. l. commemoratum sit, neque Gallos aerarium diripuisse usquam traditum legatur, scilicet, ut frumentum, in Capitolium latum, sed illo tempore auro non refertum, v. 5, 25, 8, ib. 50, 7, nemo facile probabit. Omitto c. 6, 3 *offundatur* (B.) in *defendatur*; *desiderarunt* in *desiderabunt*; ib. 6 *in secunda — adversa* in *in secundam — adversam,* ib. 8 *verendum* in *verecundum* mutata, quae omnia in M. posita sprevit Madvigius, sed c. 8, 2, ubi in M. *collegae* est, in reliquis *collegarum,* veretur, ne in his potius Livii error correctus quam in M. a scriba aut correctore illatus et hic locus ut multi alii mutatus sit. Aperta interpolatio alterum utrum codicum genus obsedit c. 11, 2, in M. enim est: *nisi praesidio Romanus miles esset,* in rell. *nisi praesidium Romanus (Romanis* B. *Romani* rcc.) *missiset (misissent* rcc.); et hoc quidem v. *Romanis* in *Romanus* mutato Bekkerus recepit neque Madvigius in textu aspernatus est, atque tria milia militum, tot enim postulantur a Belistage regulo, apte praesidium vocantur; cur altera scriptura Madvigio in praef. magis placuerit, non satis patet, nihil enim addit nisi: Romanos (?) aliquot copias Belistages petit. Magis perspicuum est interpretamentum in M. illatum c. 16, 3: *milites — reduxisset* pro eo, quod reliqui habent: *suos — reduxisset,* et, ut § 5 *remisit* pro *dimisit* positum omittam, ib. § 9, ubi in M. pro *septem castella* Gelenio teste legebatur *aliquot castella,* deinde c. 19, 11 *in castris praetorianis* in M. pro *in c. praetoriis* 22, 1 pro *Boiorum manu* (B.) *Boiorum exercitu* scriptum est, et c. 24, 4, ubi Gel. *immo quam rapacissimae beluae* in manuscriptis exemplaribus legit, recentiores et B. id quod etiam Madvigio probatur: *i. q. immanes beluae* praebent. Eodem modo, ne c. 26, 9 *introiret* pro *intraret,* ib. 12. *pervenerant* pro *convenerunt* positum commemorem, ib. § 14 *regnum Lacedaemonium* e *regnum Lacedaemone,* c. 28, 6, cum in archetypo, ut in B. est, *decreta* scriptum esset, non *derecta,* ut debebat, sed *erecta* mutatum, 34, 36, 4 *ceterorum* pro *ceteram* positum est. Alius generis sunt, quae paulo ante putantur quidem in M. fuisse c. 28, 11: *quae (fuga) minus infida ac trepida fuisset*; Moguntini enim neque in textu neque in excerptis, quamquam in his in proxime praecedentibus *inclinarunt,* rem minutam, et in sequentibus *ei institissent* observarunt, ut mirum videri debeat, magis conspicuum additamentum et inter ea, quae adnotaverunt, medium eos fefellisse, *infida ac* habent; Gelenius autem vocem *infida* intercidisse dicit et *ac* particula adiecta verba ad archetyporum fidem videtur restituisse. Ad hoc cum accederet, quod neque in B neque in recentioribus illa verba exstant, Dukerus autem et Crevierius non recte aut usitate *fugam* dici *infidam* docuerunt, omittenda esse censueram, pariterque Madvigius ex oratione abesse voluerat, sed in praef. sententia re-

---

[4]) Paulo supra c. 2, 11 in M. fuit: *et foro prope et — comitiis immisceri;* quae cum propter additum v. *prope* ad ea quae praecedunt: *rempublicam capessere eas patimur,* ad quae explicanda et amplificanda adiecta sunt, minus apta videantur, neque ad oratoris consilium, cum primum augeat rem non attenuet, deinde in vv. *quid enim* etc. id, quod verum est, adiungat, accomodata, etiam Madvigio cum editionem Livii pararet, alteri quod in B. all. est: *foro quoque* etc. posthabendum esse visum est, sed in praefatione, sola ni fallor M. auctoritate permotus, *prope* revocandum esse censet.

[5]) Pauca ex eo genere alia addam, ut 38, 25, 8 *quoius;* ib. 50, 9 *quoiquam;* 33, 34, 3 *Ptolomaeus;* 34, 50, 7 *Achaeia,* 39, 48, 5 *Achaeico,* cf. c 50, 9 all., quae forma raro etiam in Bamb. conspicitur, v. Kreyssig. ad 32, 19; non audeo accusativum in *eis* exeuntem, velut *Sardeis*, *pristeis* all., cuius vestigia in antiquissimis Livii codicibus nulla inveniuntur, quamquam et in editione Mog. et in Frb. 2 in iis partibus, quae ex solo Moguntino codice expressae sunt, haud raro legitur, huc referre, quod ab editoribus illius temporis his formis adsuetis fictae potius quam in codice inventae esse possunt. Contra antiquiori formae *duellum* 36, 2, 2 *bellum* in M. substitutum est.

tractata revocanda esse et ita explicanda statuit, ut fuga infida esset, quae spem salutis falleret. Cuius usus cum nullum exemplum attulerit, et Livii consuetudo, qua foedus, pacem, societatem infida dicit, quorum fides non servatur, v. 7, 42, 8; 8, 22, 7 all., repugnet, ne nunc quidem dubito, quin v. *infida,* si modo a Gelenio ex M. et non ex altero libro allatum est, ad *trepida* adscriptum deinde inter verba Livii receptum sit, ut 33, 29, 3 factum est; facile autem carebimus *timida et trepida fuga,* quam nuper quidam inferre voluit, neque vero Livium ita locutum esse probavit. Ex eodem genere duo alios locos esse puto, quorum alter 34, 34, 2 ita in M. scriptus esse traditur: *bene vertat inquit, quando ita placet obsideamus Lacedaemonem illud modo ne fallat ceterum,* in B: *b. v. inquit obsideamus Lacedaemonem quando ita placet ceterum,* idemque in Drakenb. libris videtur fuisse; ibi cum Gronovii *illud ceterum* coniungentis explicatio ferri non possit, nihil est probabilius, quam alterum alterius esse interpretationem. Itaque Bekkerus *ceterum* servavit, *illud modo ne fallat* sustulit, quae quidem sententia eo confirmatur, quod quae statim sequuntur: *iam nunc hoc ita proponere vos animis oportet* eandem fere sententiam habent atque eam, quae in vv. *illud — fallat* modo significata est; Madvigius *ceterum* pro interpretamendo habet. Alter locus c. 35, 4 legebatur: *ne quod mancipium regium publicumve aut privatum educeretur dolo malo, si qua publice aut privatim ante educta forent dominis recte restituerentur,* in B rcc. omittuntur vv. *sine dolo malo* deinde *publice aut privatum,* quare neque in editionibus veteribus neque a Gelenio aut reliquis editoribus sunt recepta, praeter Modium, qui *sine dolo malo* transponenda et *recte et sine dolo malo* legendum esse existimabat, et Madvigium, qui postquam in Emendationibus plura molitus est, non recessit quidem a vulgari scriptura, sed in praef *ne quod inde mancipium nisi regium publice aut privatim educeretur sine dolo malo; si qua ante educta* cet. Livium scripsisse putat: ita vetari Nabin publice et Nabidis praefectos privatim mancipia educere. At ut concedatur, quod probari non potest, Nabidi permissum esse, ut regia [6]) mancipia educeret, idque peculiari lege sancitum, nonne satis erat cavere, *ne quod inde nisi regium educeretur?* ita enim et reliqua omnia mancipia excluduntur, et quod omnino interdicitur ne fiat, id ne publice aut privatim fiat non sane est interdicendum; et quod quis facere vetatur, si tamen facit, non potest facere nisi dolo malo, ut cur haec adiciantur, aut cur illis *ne — nisi — sine* res simplicissima obscurcius et argutius describatur, plane non appareat. Accedit, quod aliis locis haec, quae per se intelliguntur, non addita legimus, v. § 9 sqq.; 38, 38, 5 all., sed sola, quae h. l. requiri dixi, et quod ad illa, quae proponuntur, ea, quae sequuntur: *si qua* etc. apte referri non possunt. Nam cum ante tantum regia mancipia commemorata sint, verbis *publice aut privatim* autem non genus servorum, ut in vulgata lectione, sed modus educendi significetur, vv. *si qua — forent* etc. non possunt explicari, nisi aut ita: si qua regia educta forent, quod ineptum esse ex illis: *dominis recte restituerentur* apparet, aut ita, ut intelligas, si qua praeter regia educta forent, quod num eo modo ut id, quod excipitur, prorsus omittatur, recte dici potuerit, dubitandum est. Ea autem omnia molitur Madvigius, quod sibi persuasit non fieri potuisse, ut ad v. *recte* notissimum quisquam explicandi causa adscriberet: *sine dolo malo,* et aut non vidit aut videre noluit eam h. l. illius verbi esse significationem, ut facile interpreti in mentem venire posset legentes monere, ne vulgari et propria vi dictum putarent eoque consilio formulam omnibus notam adscribere. Atque cum videamus multis locis etiam tritissimis [7]) alia item fere significantia verba substituta esse, cur illo loco potius, quam factum esse concedamus, minus probabilia admittamus, nulla sane causa est. Nescio an his locis adnumerandus sit is, qui c. 44, 6 sic in M. legitur: *ludique Romani votivi, quos voverat —*

---

[6]) Cum in editione Weidmanniana, quod Philippus antea Argos habuerat, et velut fiduciariam eam urbem Nabidi ederat, v. 32, 38, 2, explicandi causa ad v. *regium* adscripsissem: die vorher Philippus d a n n Nabis gehört hatten, Madv. rem hoc modo invertit: „regia mancipia video intelligi Philippi regis; sed cur de his caveatur non apparet — immo Nabidis significantur“ etc. i. e. id ipsum, quod ego dixeram.

[7]) Cf. 33, 24, 5; ib. 26, 5; ib. 38, 2: *reliqui, ceteri,* 34, 32, 9: *in libertatem* et *ad libertatem;* 37, 46, 8; ib. 16, 12; 35, 29, 6; 39. 15, 6 *modo* et *solum;* 34. 33. 12 *etiam* (M), *et* cf. 35, 29, 10; 34, 36, 4 *sicut* (M). *ut*; 38, 35, 1 *apud, ad* all.

facti, reliqui libri excludunt v. *Romani,* et excludendum esse editores existimarunt, nec Madvigius, v. praef. IX, negat facile addi potuisse, idque factum esse eo est probabilius, quod cum § 5 *ludi Romani* commemorati sint, inde in nostrum locum illam vocem transferre proclive erat. Quare dubito, num Livius hoc uno loco a constanti et suo et aliorum usu decedens, id quod dici poterat sed plerumque non dicebatur, scripserit potius, quae Th. Mommsenii sententia est, v. Mus. Rhen. XIV, 87, quam v. *Romani* ad *votivi* adscriptum ab interprete deinde cum eo cuniunctum sit. Simile interpretamentum c. 47, 6[*] in archetypo fuit additum, sed ut c. 11, 2 in alterum utrum tantum genus codicum receptum in altero vera lectio servata est; in M. enim legitur: *pars certaminis studio et spe potiundi castris hostium circa vallum morata est,* reliqui priora eodem modo scripta habent, sed ultima: *hostium perstitit ad vallum*; atque cum *morandi* notio ad studium potiundi castris minus conveniat, neque probabile sit, Livium id dicere, milites nihil molientes seque non moventes ad vallum remansisse, a plerisque etiam a Gelenio et Drakenborchio Moguntinam scripturam reiectam esse videmus; solus Madvigius eius auctoritatem secutus est, neque tamen potuit, quin c. 48, 2 *ex quo* pro *quo* a correctore scriptum, et § 5 *praeterquum cum* pro *praeterea quum* probaret. Etiam c. 49, 4: *commemorationem subiecit* in M. ab interprete illatum est pro *commemorationi subiecit,* et c. 51, 2 *commonitos*, a Cicerone non a Livio usurpatum, pro *admonitos,* pariterque c. 54, 4 *censentibus* potius quam *existimantibus* (B. rcc.) ad vulgi opiniones significandas esse aptum putaverim. Et, si incertum est, utrum c. 56, 1 *is* in M. aliena manu additum an in reliquis omissum, ib. § 3 *ex auctoritate patrum* (M.) an *ex a. senatus* (B. rll.) praeferendum sit, non potest dubium esse, quin Livii manus obliterata sit in M. c. 56, 5 *sociis et Latini nominis* et c. 58, 9: *liberare velle,* pro quibus hoc loco reliqui *liberas v.,* illo *soc. et Latino nomini* exhibent. Quae cum etiam Madvigius recepisset, vehementer increpat eos, qui paulo post c. 58, 12 Bekkeri iudicium secuti e B rcc. *Graecas Asiae urbes* probare maluerunt, quam ex M. *Asiae urbes, quae Graii nominis sint.* Quamquam vocabulo *Graius* cum alios scriptores tum Ciceronem usum esse constat, id quod praeter loca in lexicis allata ea quoque probant, quae et a Madvigio et plura etiam a Nipperdeio in Musei Rhen. v. XIX, 279 sq. collecta sunt, Livius tamen, quamvis sexcentis locis *Graecos* dixisset, ne uno quidem loco admisit, nisi hoc, de quo agitur, a consuetudine sua descivit. Id autem factum esse ut credendum esset, si omnes inter se libri consentirent, ita vix concedendum videtur, quod in uno codice exstat eoque, ut apparet, haud raro interpolato, et ex quo modo *liberare* recipi non potuerit, in reliquis autem omnibus ea forma legitur, quae Livio est usitatissima; neque video, quo modo ii, qui usum scriptoris spectandum et servandum praedicant, ut c. 5, 3 *necessum est,* c. 51, 2 *commonitos* all., quae ab eo abhorrent, reiciant, hoc loco ut uni libro fides habeatur aliam rationem sequentes sibi possint constare. Ad hoc accedit, quod Livius aliis locis ita locutus est, ut n. l. B et rcc. eius orationem exhibent, cf. 33, 34, 3: *in libertate esse debere omnes ubique Graecas urbes;* ib. 33, 7 *omnes Graeciae atque Asiae urbes;* 37, 35, 3; ib. 54, 20 all. Denique 33, 20, 1 *pro universo nomine Graecorum* Livius scripsit, et haud raro *principes, populos, consilium, maiestatem nominis Latini aut Volsci aut Romani,* v. 1, 49, 9; ib. 52, 4; 2, 35, 7; ib. 38, 6; 7, 28, 2; 8, 4, 12; 33, 31, 8 all., nusquam autem, quod memini, *urbem Latini nominis;* et 37, 54, 18 all. *Graecas urbes* dixit, et posteriores scriptores *Graias urbes,* v. Pomp. Mel 1, 19, 1; 2, 4, 7, sed in magno numero locorum a Nipperdeio collectorum *urbem Graii nominis* non inveni.

De locis interpolatis XXXV, 2, 8; 4, 3; 5, 8; 6, 9 supra exposui, quibus non dubito, quin ea quae c. 8, 7 in M. ita legebantur *nunc videri esse amotum de industria, ne ea, quae scripsisset, praesens diceret aut argueret coram, et si quid vani afferret argui posset* addenda sint. Quamquam enim priora: *videri esse amotum* Gelenius correxisse potius quam in M. legisse videtur, quod in ed. Mog. *videre sese amotum* legitur eademque verba in rell. codicibus depravata sunt; de sequentibus: *ne ea etc., aut argueret coram* atque *et si quid vani a. argui p.* dubitari non potest, quin in M. perscripta fuerint; ea autem cum ferri non possent, Crevier legendum esse censuit: *praesens diceret et aut argueret — aut, si quid* etc., eumque Madvigius secutus est. At si hoc modo Livius scripsis-

set, L. Cornelium id, quo nihil ei gratius esse poterat, ut argueretur Marcellus, ipsum noluisse et ne id fieret cavisse, diceret, aliter enim verba non possunt intelligi, nisi ut *videri esse amotum ne* etiam ad illa referantur, quae sequuntur: *argui posset: amotum — et (ne) argui posset;* quod enim Kochius fingit, v. acta gymnasior. 1863 p. 445, id ipsum ingratum fuisse Cornelio, quod omnino fieri potuerit, ut aut argueret aut argueretur, non vidit ipsius Cornelii consilium significari et eum noluisse dici, quod optare debebat, non alium quendam alterum utrum consuli eligendum proposuisse, idque ei displicuisse. Sed ut dubia illa coniectura videatur etiam ea, quae in altero membro posita sunt, efficiunt; nam verba *si quid vani afferret* ita addita sunt, ut Metellus non omnia, quae a Marcello scripta sunt, se aut pro veris aut pro falsis habere, sed alia vera esse alia falsa posse dicat; id autem si verum est, *arguere* et *argui* vix possunt ita inter se opponi, ut alterum altero excludatur, sed utrumque fieri, et vera probari et vana argui posse dicendum erat. Neque Metelli persona, quem Livius gravissimum virum videri vult et ut res exquiratur, donec veritas explorata sit, suasisse tradit, satis dignum videtur consulem re nondum cognita tam pravi consilii insimulare. Eae omnes offensiones vitantur, si reliquorum cdd. scriptura: *de industria, qui ea, quae scripsisset praesens diceret arguere coram et si quid — argui posset* lenissima medela adiuvatur et scribitur: *qui — dicere et arguere coram et — argui posset,* ita neque opus est *et si quid,* quod etiam M. habebat, mutare, ut *aut si quid* scribatur, et utrumque fieri, et argui et arguere posse, quod propter verba *si quid* etc. necessarium est, significatur, et cavetur, ne consul amovisse videatur eum, quem argui a se posse eius plurimum intererat. Quod autem Madvigius dicit pronomine *qui* ita posito tamquam incertam personam generatim significari, videre noluit ea, quae praecedunt, ita esse scripta, ut qui ea legerit, pronomen relativum, quod sequitur, non possit, quin ad Marcellum referat; consilii autem significatio: amotum esse, ut alicubi diceret, non inest in verbis sed infertur, eodemque iure faciliusque etiam et rectius, si reliqua adiunguntur, causae significatio inesse creditur: amotum esse Marcellum, quippe qui praesens dicere — posset. Imperfectum autem coniunctivi locum habere posse, ubi si quis accuratius loqui vellet, coniugatione periphrastica uteretur, ipse Madvigius, cum in Emendationibus p. 172 negasset, in ed. Liv. I, 2 praef. XII concessit, v. 42, 13, 3 ib. 46, 6 all. Quibus omnibus perpensis nescio an hoc quoque loco, ut facilius sententia perspiceretur, pro *qui* reposito *ne* reliqua etiam mutata sint. Eadem ratione paulo post c. 8, 9 *supplicatio* in M., quod usitatius videbatur, pro *supplicationes* quod in reliquis est, legebatur, et ne nunc quidem illud me sprevisse poenitet, neque, si *supplicationes* pravum esse noluissem confiteri, id quod Madvigius fingit, v. praef. p. VII, loca attulissem, ubi nulla ullius codicis discrepantia legitur, quibus cum alia addere poteram tum quod 40; 53. 3 in ipso M., qui illa solus habet, perscriptum est. Quod c. 11, 10 in M. legi tradiderunt *inter medias stationes,* in B. rll. *per medias stationes,* iam Oudendorpio obsequi malim, qui ex Frontino *per intermissas stationes* restituendum esse docuit; in utroque codicum genere pars veri videtur servata esse. Pariter 37, 43, 9 iam non intercedo, quo minus sublata *et* particula legatur *maior pestis intermixtis (in permixtis B.) quadrigis elephantisque et camelis erat sua ipsorum turba,* neque tamen Kochio concedo propter vocab. *maior* locum illam particulam habere non posse, nam non vidit pestem maiorem fuisse propter intermixtos et elephantos et camelos, ad eamque causam accessisse alteram, quod milites effuse solutis ordinibus fugerent; si utrumque impedimentum abfuisset, minor fuisset pestis. Sed ut ad librum XXXV. redeam, utrum c. 15, 4 *ministerio* in B rec. inventum et Hertzio probatum an Moguntini scriptura *ministeriis* praestet, dubium esse potest, itemque c. 25, 2 utrum *infensus* (M.) an *infestus* (B. rll.) et c. 29, 9 *progredi* (M.) an *procedere* (B. rll.), ut 1, 23, 6 in Medico *prodeunt procedunt* legitur, sit praeferendum; sed c. 17, 2 *expostulationes* in M. lectum interpreti debere ipse Madvigius docuit veramque esse reliquorum scripturam *postulationes,* neque dubito, quin c. 27, 3 *arundine* (M.) potius quam *harundinibus* (B.), et ib. § 16 *inopinantem* (M., in quo etiam 34, 28, 10 *necopinatum* corruptum est) quam *inopinatae,* a correctore profecta sint, et si incertum est, utrum c. 28, 1 *ad id maxime animum exercuerat* (M.) an *se ad id m. exerc.* (B. rll.) verius sit, quamquam minus probabile

videtur *se* ad *animum* esse adiectum, apparet c. 29, 8 *in specie transfugae* Livii non esse, sed praepositionem sine iusta causa in M. additam a reliquis recte abesse; etiam c. 40, 7 *terra dies per duodequadraginta movit* in M. praepositio eodem modo quo 34, 31, 17 in vv. *in Lacedaemone* perperam adiecta in ceteris omissa est. 35, 31, 3 Gronovius non sine causa dubitat utrum *iter flexere* (M.) an *iter direxere* praestet*) et § 10, ubi M. *novus et incognitus pro vetere et experto* reliqui pro *vetere* habent *noto*, patet quidem, quomodo pro *noto*, ut aptum esset ad *novus*, reponi potuerit *vetere*, etsi *vetus rex* h. l. minus recte dici videtur, neque vero, cur quis notissimum v. *vetere* adiecto v. *noto* explicare voluerit. Etiam c. 32, 7 probabilius est in M. verborum ordine mutato scriptum esse *et propter*, quam in reliquis *propter et*. C. 35, 3, ut omittam c. 34, 6 *exulem* ad *hunc* esse accomodatum et non sine causa *fatigaret* pro *fatigabat* eademque forma *rebellaret* pro *rebellasset* positum esse, § 18 non potest dubitari quin *transfosso* in M. male pro *transfixo* substitutum sit, neque sane patet, cur § 14 *adequitandi* (B. rec.) posthabendum sit M. scripturae *equitandi*, quam etiam Gelenius reiecit, et in erratorum indice, ut error excluderetur, in textu *adaequitandi* pro *adequitandi* expressum esse monet*). C. 45, 4 dubito, num recte Gronovius B. rec. lectionem *ne bellarent* defendat, nisi quod sequitur, ut in Lov. 2 est: *cogi non possent* (plerique *c. n. possunt* habent) scribitur, cum in M. *bellare necesse sit* inventum esse dicatur, sed 37, 17, 6 *effugere vellent*, quod M. exhibet, non Gronovio solum sed etiam Drakenborchio et Bekkero displicuit, et ut verius ac non interpolatum *effugerent* ex reliquiis cdd. restituendum esse visum est. C. 49, 7 *homo non quam ut isti* vera scriptura cum interpretamento coniuncta ortum est; in antiquiore enim libro, ut in B. est, *quamiusti* videtur scriptum fuisse, ex eoque *quam ut isti* non *quam isti* esse procusum; similiter c. 47, 4 *Graeciae gloriae* esse ortum putaverim; et c. 44, 1 *introductus*, quod post vv. *in concilium ut ventum est* abundat, primum ad haec explicandi causa additum deinde in orationem receptum esse. C. 49, 12 parum feliciter Gronovius defendit recentiorum cdd. scripturam: *non interponendi vos*, ubi M. verius habet *n. interponi vos*, cf. Auber Beiträge zur lat. Grammatik p. 47, sed 37, 16, 18 dubitandum est, num Gel., quae Drakenborchii sententia est, *omissa Patara amplius tentandi spe* e cod Mog. asciverit, neque enim *spe* in aliis codd. exstat neque aptum est h. l., quod ad temptandum aliquid non tam *spe* opus est quam *consilio*, *conatu*, atque consilium temptandi sed spes perficiendi, vincendi recte dicitur; quare minus etiam quam Gelenio quisquam Kochio obsequetur, qui *omissa spe Patara* etc.

---

*) Ib. § 1 M. *circumiere* B. *circuire* habet, quod cum ad iter universum pertineat, quo multae civitates adeundae et ab aliis ad alias commeandum erat, repetendaque, id quod Madvig. Emendatt. p. 411 negat, eundi actio non minus aptum est quam § 3 *iere* ad iter Chalcide in Thessaliam susceptum significandum, itaque non audiendus est Kochius l. l., cum propter hoc illud mutandum censet, facile enim quivis, quam diversa sit utriusque loci ratio intelligit. Multo magis inf. historicus offendit 36, 14, 13: *consul primo mittere*, quod de re semel facta dictum est, ad quod cum accedat, ut in B. all. *primo missi* legatur, nescio an restituendum sit *a consule primo missi*, constructionis mutatae non desunt exempla.

*) Eodem l. c. 35, 9 *quoque et ipsi* improbavit Madvigius et uno verbo *et* delendum censuit, ad quod servandum cum duo Livii locos attulissem (addere poteram 3, 21, 3: *patres quoque, ne quid cederent plebi, et ipsi — reficiebant*, 29, 23, 1; Iust. 6, 5, 6 *Conon quoque audito reditu Agesilai et ipse — revertitur* et monere v. *et* deleto *ipsi* non apte dictum videri, et *Nabidi ipsi quoque* dicendum fuisse) tamen Kochius nulla ratione addita codicum omnium lectionem damnat. Idem c. 32, 6 necesse esse „es musste — durchaus aufgenommen werden“ Dukeri *spes* pro res suadentis coniecturam admitti putat, quamquam ipse Dukerus v. *res* defendi posse concedit, quare ne Madvigius quidem Kochio obsecutus est; non magis necessarium est c. 34, 3 *novari* scribere; quamquam enim potuisse ita Livium scribere non nego, tamen debuisse nemini facile persuadebitur. Etiam c. 51, 10 v. *oppidum*, quod Kochius l. l. addi iubet, facile carebimus, sive *id quod caput erat Euboeae teneret* pro *caput Eub. teneret* dictum statuitur, sive recte Madvigius locum distinxit; 36, 2, 1, ubi in edit. Weidmanniana vulgatam vix defendi posse dixeram (utrum mea an sua culpa quae scripsi Kochius intelligere non potuerit, non definiam, alios intelligere potuisse scio), non aliam ob causam, quam quod Madvigii ratio non probanda est, *in senatu incerto*, suum inventum, in Livii oratione conspici voluit, quamquam *incertus ad id* vix recte dicitur aut, si ea coniungi noluit, locus non adiuvatur. Lacunosa esse verba et sortis significationem desiderari, in eaque quibus verbis usus sit Livius, constare non posse ipse dixeram.

defendere conatur loco § 4 *sperabantque — aliquid maturos* allato, qui locus a nostro quam diversus sit, non est quod moneam.

Pauca addam ex libro XXXVI. Ibi c. 36, 4, 8 *quingenta modia* ex *quingenta millia modium*, et *trecenta modia* ex *trecenta millia modium* factum est, in eodemque vocabulo gravius etiam peccatum 38, 13, 13; 14, 14; 15, 11, ubi, cum Livius Polybium secutus sine dubio graeco voc. *medimnum*, quod in B. et recentiorum plerisque servatur, usus esset, in M., ut in primo loco in nonnullis recentiorum, non errore aut casu, sed a correctore *modium* est illatum; c. 7, 14 pro *moverit — adiungere — adiungi* scriptum *movebit. — coniungere — conjungi;* 9, 12 *ulteriorem* pro *interiorem*; 10, 7 *vim adferendam* pro *v. adhibendam*; 13, 4 *capta* pro *recepta* positum. C. 15, 3 recte B. all. *ex Asia expleta* servarunt, in M. *ex Asia et Creta* inde factum; ib. § 7, ubi in B. rcc. *Achaei* deest, in M. *et Phthiotae et Achaei*, quod postea a Gel. correctum est, legebatur, cf. 33, 32, 5; c. 17, 1; ut omittam c. 16, 2 dubium esse, utrum in M., id quod Bekkerus statuit, *exercitum* adiectum an in B. rcc. omissum sit, ab interpolatore est: *consul postquam vidit occupata ab Aetolis superiora loca*, verum in B. rcc. servatum: *consul postquam insessa superiora loca ab Aetolis vidit*; ib. § 5 *bellicosissimae* potius quam *ferocissimae* (B. rcc.) interpreti debetur, et paulo post nescio an recte Hertzius ex B. *vilissima* receperit et *levissima* pro interpretamento habuerit, quod in M. scriptum erat, in quo statim *servitutis digna* pro *servituti nata* num errore positum sit, potest dubitari. Paulo post § 8, ut omittam Gronovium *sileam* prae Moguntina lectione *omittam* fortasse recte defendere, cum in archetypo ad v. *vanissima* adscriptum esset *levissima,* in M. *vanissima et levissima* receptum, vera lectio, in B. servata: *vanissima et ingratissima,* eiecta est, similiter, parte interpretamenti servata, c. 18, 8 *collem quum (cum)* in M. corruptum esse Drakenborch. existimat. C. 19, 2 pro *in castris regis erant* (quod et *regis* et *regiis* esse potuit) in M. legebatur: *in castris fuerant regiis*; ib. § 5 omnes editores, etiam Gel., *direptio — obtinuit* contempserunt prae altera scriptura: *dir. — tenuit* (B. rll.), et § 9 *constitisset*, in M. vix casu positum, prae altero: *constiterit*; c. 20, 2 *vexatione* (B.) Bekkero certe verius est visum quam *violatione* (M.). Et aliis et c. 27, 5, ubi Gron. et Drakenb. *iura* in M. ab interprete additum censent, omissis[10]), id tantum moneo c. 27, 2 *dimiserant legatos* alteri: *miserunt leg.* in M. consilio esse substitutum, c. 29, 5 *inter Macedonum Romanorumque castra* pro *i. Macedonum Romanaque c.* (B. rcc.) in M. illatum, 32, 4 *imperatoris* (M.) pro *praetoris*, ib. § 8 *adpetendi* pro *amplectendi*, tum *ea* ad *omnia* adiectum (M.). Utrum c. 34, 7 *fefellit* (M.) an *fallit* sit mutatum, incertum est, sed c. 36, 2 *aedes matris magnae Idaeae* aut *matris* aut *Idaeae* (B. rcc. *deae*) (in periocha *matris deum* legitur) additum deinde in verborum ordinem receptum videtur, cf. c. 40, 8, quo loco § 9 *hinc* in M. non sine causa videtur adscriptum esse; c. 42, 5 *Samum* notum nomen pro *Samen* (B. *tam*, rcc. *tamen*) legebatur. C. 44, 11 non dubito quin *extremus,* quod in solo M. exstat, iure Bekkerus sustulerit, si Livius addidisset, nescio an *postremus* scripturus fuerit; c. 45, 3 *abstiterunt* Gron. et Drak. probant, non *substiterunt* (M.).

Potiora ex reliquis libris ita enumerabo, ut suo quoque loco Moguntinam lectionem praeponam iis, quae in reliquis libris reperta sunt. XXXVII, 1, 6 *incerta pace*; *infecta p.*; 2, 2 *additi — trecenti — octoginta*; *addita — tria millia — quinque millia*; 2, 12 *binae eaeque proximae decimae*; *binae eo anno decumae*; 5, 3 *multis locis*; *pluribus l.*; 6, 4 *ab sex millibus fere passuum inde*; *sex millia ferme inde passuum*, hoc plerique praetulerunt, et *inde*, ubi *ab millibus passuum* legitur, raro adiectum est, v. 30, 29, 10, cf. 24, 46, 1; 38, 20, 10, Drakenb. ad 4, 9, 13. C. 6, 5 *Romanis* alieno loco positum; 10, 5 *nuntius aperit*; *nuntius*; 11, 3 *ad Sipylum* etiam in rell. codd. illatum est. 12, 4 *elatus; inflatus,* cf. 39, 31, 2 *inflatis* (M.), *ferocioribus.* Aut turbata in M. aut interpolata sunt 37, 16, 9 *primo adversus paucos levibus et excursionibus*, rcc. *pr. et advers. paucos*

[10]) Omisi etiam locum difficillimum 36, 24, 5, ubi quae in M. leguntur *in qua aedificia extra urbem erant* et ea, quae in B. rcc. sunt, quo *progressi erant* ita discrepant, ut non possint ex uno fonte fluxisse, sed vitium latere videatur et occultatum esse.

levibus; Gel. edidit *levib. excurs,* sed *leves excursiones* non facile dicuntur aut dici possunt; *parvas excursiones* habemus 4, 27, 4; et 37, 18, 4; 9 *levis armaturae excursiones,* sed 3, 61 12 *excursionibus et proeliis levibus*, et 32, 10, 9 *per excursiones levia commissa proelia sunt*; 28, 33, 6. Itaque nescio an post *levibus* interciderit *proeliis*, minus probabile est *levibus* suo loco motum post *primo* ponendum esse. C. 17, 9 *ab suo bello ad regiam classem*; *ab suo bello*; ib. 10 *possetne Pataris universa classis in portu stare,* quae si ita in archetypo fuissent scripta, vix altera lectio: *utrumnam P. un. cl. in portu stare posset* existere potuit. Haec autem, quamquam Gronovio, Drakenb., aliis probatur, num vera sit aut eam, quam inesse vult sententiam H Vossius Anmerkungen und Glossen p. 287, habere possit, cum v. *utrumnam* nusquam neque apud alios scriptores neque apud Livium praeterquam 34, 32, 16 in rcc. libris inveniatur, vehementer dubito, et prima verba non perspicue scripta in archetypo ad id quod locus requirere videbatur, verborum ordine mutato, accommodata esse suspicor. Eodem modo c. 18, 7 *plurimum terroris in Gallorum mercede conductis decem millibus erat, hos — milites misit,* si vera tradidit Gelenius in M. difficultates obscuratae sunt. Nam et constructio verborum *in — conductis* durior est, et *in* a Gel. additum a ceteris cdd. abest, et in pluribus rcc. cdd. atque editionibus veteribus *erant* legitur, et *milites*, quam vocem non tam codicem Mog. quam suam coniecturam secutus Gel. „redundare" dicit, cf. 34, 22, 6; 35, 36, 7, in omnibus codd. exstat. Quare plura intercidisse existimo locumque praepositione inserta et v. *milites* deleto non esse sanatum. Similiter c. 25, 13 verborum ordine mutato lacuna obliterata est. C. 20, 6 dubium est, utrum *ad iussa praesto esse* an *ad portas p. e.* verius sit, non dubitatur de ll. c. 26, 10 *mora detinebat* et *m. offendebat;* 28, 1 *cum in agris populatio esset* et *cum in oculis p. e.,* v. 35, 36, 2. C. 32, 13 *opulentiora, potentiora;* 35, 3 *si quas alias Romani, quas suarum partium ediderant* v. *quas* ad *si quas* accomodatum deinde etiam *ediderant* quam quod in B. rcc. exstat, *quod suar. p. fuerint*, corruptum esse probabilius est. C. 38, 8 *in medium campum; in m. campi;* 42, 1 *auxilia enim subsidiaria*; *a. en. subsidiaque*; illud non facile legitur, de hoc v. 4, 28, 3; 21, 46, 6. C. 43, 1 *post paucos dies; p. p. annos*; ib. 3 *minae non deerant*; *minae exinde erant.* C. 45, 7 *non tam, quid ipsi dicamus habemus — quam ut a vobis quaeramus*, in rell. cdd. abest *habemus,* quod cum ceteris non apte coniungi posse Drak. et Madvigius viderunt. Audacius autem Madvig. v. *ut,* quod in omnibus cdd. superest, sublato *quaerimus* scribit; Wachendorfius, qui in Obsервv. Livv. *quo ipsi dicamus venimus* legi iubet, recte quidem vidit v. *habemus* in M. inventum suspectum esse, sed *quid* non mutandum erat, potest enim *mandatum est* aut simile verbum intercidisse, aut, si *habemus* genuinum est, *mandatum habemus* facilius corrigi. C. 48, 6 *adiecit deinde fabulae; subtexit d. fabulae;* 51, 9 *victam Aetoliam*; *victum in Aetolia*; 53, 9 *in vos fidelem; vobis fidelem;* 56, 3 *trans Maeandrum, ad Maeand.;* ib. 7 *fraternam — gratiam; fr. — caritatem*; 57, 1 *inaestimabili* (M. rcc.); *intestabili* (B.). XXXVIII, 1, 3 *remissi ab eo nuntii ad principes,* difficultates, quas Drak. sensit, tolluntur altera lectione *remissique ab eo nuntiant principibus*; in sequentibus si plura desiderantur, certe ea, quae Madvigius voluit, non addenda sunt. C. 3, 4 *fuerat quondam in Aetolorum imperio*; *fuer. qu. Aetolorum*; etiam 36, 24. 7 *receptis ex potestate hostium,* rcc. recte *ex potestate* videntur omittere; contra 33, 19, 8 *ex dicione* in M. intercidit. 38, 3, 6 *sine responso*; *sine spe pacis*; 12, 5 *acciti; adiecit laeti;* ib. § 7 *copias* num in M. lectum sit, non constat; 13, 2 *perventum* ad *pervenerunt* accomodatum; *ventum;* 14, 4 *iam fineis ingredienti*; *i. primis ingredientibus,* utrumque videtur mutatum esse. C. 16, 14 *unde et signis*; *et signis,* etiam § 1 *hi* alienum est et recte in rcc. non additum, quod ante de Tolistobogiis agitur, idem voc. alio modo 37, 39, 12 in M. illatum est, cf. ib. 17, 5. C. 17, 4 *ineuntium*; *inchoantium*; C. 20, 5; *ad septentrionem arduas*; *a septentrione ardua;* 28, 4 *pluviae*; *aquae*; ib. § 8 non satis constant de vv. *quietem exuerunt,* quae Gel. legi iubet (ipse *quiet. exuerint* edidit), cum in rell. sit *quietum excitaverunt malum.* C. 33, 9 *foedere integro*; *de integro foedere*; 38, 7 *nunc* additum, quod ibi non magis quam § 6 requiritur; etiam c. 25, 1 *ab*

Ancyra et c. 30, 1 *Sane* videntur adiecta esse; c. 38, 8 ubi Carbachius ut in rell. est *minorem* legit, Gel. *monerem*, v. *quarum*, si recte habet, certe non suo loco additum est.

Etiam in iis partibus, quae in Bamb. non exstant, quaedam meliora in rec. quam in M. servata sunt. 38, 47, 9 *Asiam* Gronov. interpretamentum esse alterius lectionis *has terras* recte statuit, cf. 32, 37, 2; 39, 46, 6; 42, 3, 6; ib. 17, 1; c. 52, 2 *reus esse inciperet*; *r. e. sciret*; ib. 10 *excussaset*; *excuset*; 53, 2 *fudit necavitque*; *fudit fugavitque*; 56, 1 *fine tum maxime vitae*; *exitu maxime v.*; ib. 9 *in vincula duci fratrem dictum erat*; *in v. d. fr. iussum erat*, hoc certe Val. Max. 5, 3, 2 videtur legisse, scribit enim *in carcerem duci iuberetur*; ib. § 6 *appellantis* (*appellat* rec.) ad *accusatoris* est accomodatum. XXXIX, 1, 2 *inter*; *per*, illud propter *intervalla* scriptum; c. 3, 2 *questi*; *conquesti*; ib. *arma reddere*; *arma reddita*; 4, 8 *notissimae*; *nobilissimae*; 5, 8 et 14; *delatam* — *delatae*; *latam* — *latae*; 6, 2 *decreti*; *creati*; 7, 3 *multi* — *homines*; *multi*. 13, 6 *amandarent*, quod Ciceronis potius quam Livii est, v. 34, 51, 2 *commonitos*; *ablegarent*, v. Drak. 1, 35, 2 all. 14, 6 *alios indices praemiis invitare*; *alios illicere praemiis invitari*, ubi *indices*, cum *indicibus* praecedat, non requiritur, in rec. duae lectiones videntur coniunctae esse; 16, 3 *po. Romanum opprimendum*; *rempublicam opprimendam*; 17, 6 *M. et L. Catinios*; *M. Catinios*, illud, ut pluralis constaret, positum est, cum M. et C. Atinios verum esset. C. 18, 3 *rerum ulla res*; *rerum ullam*[11]), 21, 1 *literae* — *venerunt*; *literae recitatae sunt*; ib. 2 *Oscensi* notum voc. pro *Astensi* scriptum; 24, 9 *narrabant*; *nuntiabant*; 26, 4 *deridiculum*, *ridiculum*; 30, 5 *derelicta*, *relicta*, quae in M. scripta sunt alibi apud Liv. non videntur legi, C. 30, 12 *totius exercitus*; *toto exercitu*; 32, 10 de v. *clamitantibus*, *clamantibus* v. 36, 34, 4; Wölfelin Livianische Kritik p. 29. C. 34, 7 *quem utique si*; *si utique*; 35, 8 *referri*; *referret*; 36, 8 *P. Sulpicium*; *Q. Caecilium*; ib. 15 *quo ex numero*; *q. in n.*; 37, 5 *cicatrices*; *notae*, hoc videtur aptius esse; 41, 1 *consenserant*; *coierant*; 42, 4 *praelatum*, *translatum*; ib. 9 *iactaret*, *venditaret*; 43, 3 *unum ex illis miseris*; *un. ex damnatis*, hoc in periocha superest, videturque ita legisse Val. Max. 2, 9, 3: *quendam damnatum securi percusserat*; 53, 6 *aiebat*, *censebat*. XL, 2, 2 *posticis parietibus*; *post. partibus*; 5, 13 *se alium habituros aiunt*; *s. a. rentur habitur. esse*; 8, 4 *expertos iuvenalium* — *certaminum*; *expertes* — *certaminum*; 15, 9 *invidiam conflarem*; *invidia conflagrem*; c. 27, 14 *militum*, c. 29, 3 *agri* videtur additum esse, quod illo l. *militum* sequitur, hoc *agro* praecedit; 32, 6 *occisa* in M. scriptum veram lectionem *eo die caesa* obliteravit.

Haec igitur, quibus errores librario potius tribuendos non immiscui, Carbachius et eius socius ut meliora aut pleniora, quae sola se enotaturos esse professi sunt, aut Gelenius protulerunt, quamvis aut omnia aut pleraque reliquorum librorum lectionibus non sint praeferenda; et si concedendum est bona quaedam a primis editoribus aut neglecta aut non intellecta esse, tamen non dubito, quin, si continuam orationem e codice exscriptam non singulorum locorum excerpta haberemus, non minor, quam in libro XXXIII est, errorum aut lacunarum foret numerus. Tamen etiam ex iis, quae attuli (quae de lacunis et additamentis exponere mihi proposueram cum hoc loco addere non liceat, alia accasione oblata persequar) id apparet, in codice Moguntino passim verbis singulis aut sententiis, quae in archetypo, unde descriptus est, interpretationis causa adiecta erant, in orationem Livii receptis veram scripturam esse obliteratam, alia, quae aut minus placebant aut non perspicue scripta erant vel in ipso archetypo vel ab eo, qui codicem Mog. exaravit, esse mutata; eum autem librum, ex quo Bambergensis et recentiores cdd. fluxerunt, illa quidem labe minus fuisse infectum. Quare ne nunc quidem me paenitet statuisse in recc. libris, licet socordia aut inscitia librariorum foede multis locis depravati et lacunis deformati sint, passim aut veram lectionem aut eius vestigia esse servata, in Moguntino autem adhibendo et propter ea, quae modo commemoravi, et quod non uno loco, quid in eo scriptum fuerit, non satis certum est, etsi multa eum meliora et pleniora quam reliquos codices habere neque nego neque umquam negavi, magna utendum esse cautione, ne quae speciem veri prae se ferant pro veris habeantur, neve propter solam eius auctoritatem reiciantur ea, quae in reliquis libris non minus recte aut etiam rectius scripta sunt.

---

[11]) Eodem l. c. 18, 8 *id omittere*, sive in codice sive coniectura invenerit Gelenius, verius esse quam *id dimittere* in Addendis ed. Weidmannianae monui; debebam ibidem addere eod. l. § 7 v. *ibi* rectius quam a me explicatum esse a Drakenborchio neque ab eius sententia fuisse recedendum

Jahresbericht
von Ostern 1864 bis Ostern 1865.

Das am 4. April 1864 in herkömmlicher Weise eröffnete Schuljahr verlief ohne wesentliche Unterbrechung des geordneten Unterrichts.

Die Beicht- und Abendmahlsfeier fand am 27. und 28. April, so wie am 26. und 27. Oktober Statt; zur ersteren hielt Herr Professor Dr. Schwanitz, zur letzteren Herr Professor Dr. Wittich im Gymnasium die Vorbereitungsrede.

Als am 22. Mai Herr Geheimer Hofrath, Professor Dr. Göttling in Jena sein fünfzigjähriges Doctor-Jubiläum feierte, bezeigte das Lehrer-Kollegium dem hochverdienten Gelehrten und Universitätslehrer durch eine vom Herrn Professor Dr. Weissenborn verfasste lateinische Votivtafel seine Theilnahme.

Das Gymnasium hat in diesem Schuljahre einen neuen Beweis wohlwollender Gesinnung und erfreuender Theilnahme an seinen Bestrebungen erhalten. Unter dem 19. Mai machte das Grossherzogliche Staatsministerium, Departement der Justiz und des Cultus, in Nr. 85 des Eisenacher Kreisblattes bekannt, dass der Rittergutsbesitzer Herr Julius von Eichel-Streiber hier für Schüler des Karl Friedrichs-Gymnasium zwei Schulgelder-Freistellen, bezüglich Stipendien, bis zur Höhe von je 20 Thalern jährlich gestiftet hat. Das Nähere über diese wohlthätige Stiftung steht noch in Aussicht, doch hat der gütige Stifter nicht gesäumt, schon für das zurückgelegte Schuljahr zwei Schülern (siehe unten) die Freistellen zu gewähren. Solch gemeinnütziger Sinn trägt in sich selbst seinen besten Lohn, herzlicher Dank aber auch von Seiten des Gymnasiums sei dafür wiederholt ausgesprochen.

Das Geburtsfest unseres durchlauchtigsten Landesherrn am 24. Juni wurde, wie gewöhnlich, in solenner Weise gefeiert. Herr Professor Dr. Witzschel hielt die Festrede über Ursprung und Bedeutung der Sagen und Legenden von Eisenachs Schutzpatron, dem Ritter St. Georg. Darauf sprach der Oberprimaner Rebling im Namen des Cötus den metrischen Festgruss, der Unterprimaner Rein pries in einem deutschen Gedichte Thüringen, der Obersekundaner Köhler in gleicher Weise die Heimath, andere Schüler trugen deutsche Gedichte vor. Gesänge des Gymnasialchores eröffneten und schlossen die Feier.

Das Privatexamen und die Censurvertheilung wurden am Schlusse des Sommerhalbjahres abgehalten und zwar fand die schriftliche Prüfung vom 7. bis 9., die mündliche am 22. und 23., die Censurvertheilung am 24. September Statt.

Das Winterhalbjahr nahm am 10. Oktober seinen Anfang; in dasselbe fielen 6 Studien- und Arbeitstage.

Am 3. Januar 1865 wurde durch ein Grossherzogl. Ministerialrescript der Direktion eröffnet, dass nach dem Ableben des Geheimen Kirchenraths Dr. Trautvetter, im Einvernehmen mit dem Grossherzogl. Kirchenrathe, Herr Kirchenrath und Oberpfarrer Stier hier mit der Aufsicht über den Religionsunterricht am Gymnasium beauftragt worden ist und dass die zur Universität abgehenden Gymnasiasten, die sich für das Studium der Theologie bestimmt haben, vor dem Bezug der Universität sich bei Herrn Kirchenrath Stier zu melden haben.

Unter dem 25. Januar ging ein anderes Grossherzogl. Ministerialrescript ein, wornach Dispensation israelitischer Schüler des Karl Friedrichs-Gymnasium von einigen Unterrichtsstunden des Sonnabends mit Rücksicht auf die mit solcher regelmässigen Versäumniss und Unterbrechung des Unterrichts verbundenen Störungen und Nachtheile nicht gewährt werden kann.

Vom 13. bis zum 15. März wurde die schriftliche Prüfung der Abiturienten und der übrigen Schüler, am 23. die mündliche der Abiturienten, am 4. bis zum 6. April die mündliche Hauptprüfung sämmtlicher Klassen vorgenommen, worauf am 8. die Censurvertheilung erfolgte. Um 10 Uhr desselben Tages wurde der Valedictions-Actus gehalten, in welchem von den diesjährigen neun Abiturienten sechs mit eigenen Vorträgen auftraten und zwar Oskar Rebling und Gustav Dolch mit einer lateinischen